

EPISTOLA XLIX.

Sir clarissime & Compater animo meo
carissime, Credo ego te una cum mul-
tis bonis & prudentibus viris, in magno do-
lore versari, patriæ causa, propterea quod
sententia Amphictyonum, 3. Julii repetita
vulnus magnum infixisse videtur. (a)
Fateor autem hunc dolorem mihi, amantissi-
mæ vestræ Reipubl. vobiscum esse commu-
net. Sed ut qui in scapha periclitantur, iis
qui in triremi magis periclitari videntur, fau-
sta acclamatione animum addunt: sic ipse,
minime ἔξω βελών una cum meis constitu-
tus, vobis quanto maximo possum spiritu be-
ne precor. Enim vero ita res habet ut nuper
ad nobilem magnificumque vestrum Duum-
virum D. Baumgartnerum scripsi, Rerum-
publ. eadem propemodum fata sunt, quæ &
hominum. E quot millibus autem homi-
num, unum, alterum, tertiumve mihi dabis,
qui

(a) de gravi & acerrima lite cum Serenissimis Mar-
chionibus Brandenb. Inclytæ Reipubl. Norib. vi-
de fusius agentem. J. C. Wagenseilium in Com-
mentatione de S. R. J. Libera civitate Norib.
Lib. II. c. I. p. 289 -- 372. confer etiam disp. in-
aug. J. C. Donaueri de Jurisdictione in alieno ter-
ritorio 1695. habitam, & quæ incidenter protu-
lit in disp. inaug. J. P. Endter de symbolica pos-
sessione Jurisdictionis criminalis 1712. Altđ.